

preripere minime debet. In quae omnia decanus atque eius iussu famuli universitatis pro suo officio et fide diligenter animadvertent.

C 185. Serotinas disputationes non celebrantes conventores promovendorum neminem recognoscant. Cum inter baccalaureandos essent, qui conventorum collegii beate Virginis recognitiones profiterentur atque ibidem aliquandiu disputationes serotinae nullae celebratae fuissent, iussit facultas significare illis, ut aut disputarent serotinae aut promovendorum neminem recognoscerent. Quod decanus in praesentia senioris facultatis magistri Henrici Pyrgalli, advocato praeposito, et conventori dicti collegii indicavit. Qui respondit se hoc dicturum dominis. Voluit autem facultas hoc, quod super dicto collegio decrevit, super omnibus et singulis aliis simul decretum esse.

Non legitime natus non admissus. Sigismundus, episcopus Merseburgensis, conservator universitatis nostrae, misit literas ad facultatem nostram pro admittendo quodam non legitime nato, legitimato tamen. Ubi vocati octo seniores rem ad totam facultatem referendam decreverunt. Quod ubi est factum, facultas cum statuta nostra omnibus illegitimis honorum fores precluderent et nos iisdem una omnes et singuli iurassetus neque unquam factum scirent seniores neque in actis legeretur, quod cum aliquo super legitimatione fuisset dispensatum, cum tamen saepius et multi idipsum petiissent, simpliciter decreverunt respondendum episcopo, non licere facultati ex prestito suo iuramento contra statuta, quae stricti iuris esse constet, quicquam peragere. Habentur literae et episcopi et facultatis in libro epistolarum facultatis descriptae.

Fuerunt<sup>1)</sup> etiam alia quaedam huius decanatus acta partim leviora, partim vero odii pleniora, quam quae huc referenda censuerimus. \*

Τῶ<sup>1)</sup> θεῶ δόξα.

### 1538 Wintersemester. 259. Decan Ulrich Steudler von Laibach.

N 87.  
C 185<sup>1)</sup>.

Udalricus Steydlerus Carniolanus Bavarus, arcium ac philosophiae magister, principis collegii collega, duodecima Octobris die in facultatis arcium decanum Oct. 12. electus est anno domini millesimo quingentesimo tricessimo octavo.

Executores habuit<sup>2)</sup>:

mgr. { Christianum<sup>3)</sup> Westerburgium  
Ioannem Sprembergium  
Ambrosium Lobasar.

Clavigeri fuerunt:

mgr. Wolfgangus Meurer Altenburgensis<sup>4)</sup>  
mgr. Donatus Telonius Camicianus<sup>5)</sup>.

<sup>1)</sup> Der Zusatz in C in rother Schrift. <sup>2)</sup> fuerunt. <sup>3)</sup> In C stehen die folgenden Namen im Nominativ. <sup>4)</sup> Misnensis. <sup>5)</sup> Polonus.